UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Totivs Theologiæ S. Thomæ Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Tertium

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Quorum sit verecundari. 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38803

Visual Library

non reformidamus: quia non æſtimamus, quod defe-
ctum noſtrum apprehendant, vt aliquid turpe.

Ad tertium dicendum, quòd à propalantibus vere-
cundamur propter nocumentũ inde proueniens: quod
eſt diffamatio apud multos.

Ad quartum dicendum, quod etiam ab illis, inter
quos nihil mali fecimus, magis verecundamur propter
nocumentum ſequens: quia ſcilicet per hoc amitti-
mus bonam opinionem, quam de nobis habebant; &
etiam quia contraria iuxta ſe poſita, maiora videntur.
Vnde cùm aliquis ſubitò de aliquo quem bonum æſti-
mauit, aliquid turpe percipit, apprehendit hoc vt
turpius. Ab illis autem à quibus aliquid de nouo po-
ſtulamus, vel quorum nunc primò volumus eſſe ami-
ci, magis verecundamur, propter nocumentum inde
proueniens, quod eſt impedimentum implendæ peti-
tionis, & amicitiæ conſummandæ.

ARTIC. IV.

Vtrum etiam in virtuoſis hominibus poſsit eſſe verecundia?

699 AD quartum ſic proceditur. Videtur, quòd etiam
Pſal. 43. in virtuoſis hominibus poſſit eſſe verecundia.
co. 7. & Contrariorum enim contrarij ſunt effectus. Sed illi
4 ethi. le. qui ſunt ſuperabundantis malitiæ, non verecundantur,
17. co. 3. ſecundum illud Ier. 3. Frons mulieris meretricis facta
eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Ergo illi qui ſunt virtuo-
ſi, magis verecundantur.

li. 2. c. 6. à ¶ 2 Præterea, Philoſophus dicit in 2. * Rhet. quòd
me. to. 6. homines non ſolum erubeſcunt vitia, ſed etiam ſigna
vitiorum. Quæ quidem contingit etiam eſſe in virtuo-
ſis. Ergo in virtuoſis poteſt eſſe verecundia.

¶ 3 Præterea, Verecũdia eſt timor ingloriationis.
Sed contingit aliquos virtuoſos ingloriosos eſſe, pu-
ta, ſi falsè diffamentur, vel etiam indignè opprobria
patiantur. Ergo verecundia poteſt eſſe in homine
virtuoſo.

¶ 4 Præterea, Verecundia eſt pars temperantiæ,
q prac. vt * dictum eſt. Pars autem non ſeparatur à toto. Cum

ergo

ergo temperātia ſit in homine virtuoſo, videtur quòd etiam verecundia.

SED contra eſt, quod Philoſ. dicit in 4. Ethic. * quòd verecundia non eſt hominis ſtudioſi. *li. 4. c. vl. in med. tom. 5.*

RESPONDEO dicendum, quòd ſicut dictum eſt*, verecundia eſt timor alicuius turpitudinis. *a. 1. et 2. huius q.* Quòd autem aliquod malum non timeatur, poteſt propter duplicem rationem contingere. Vno modo, quia non æſtimatur vt malum. Alio modo, quia non æſtimatur vt poſſibile ſibi, vel vt difficile vitari. Et ſecundum hoc verecundia deficit in aliquo dupliciter. Vno modo, quia ea quæ ſunt erubeſcibilia, non apprehenduntur vt turpia. Et hoc modo carent verecundia homines in peccatis profundati, quibus ſua peccata non diſplicent, ſed magis de eis gloriantur. Alio modo, quia non apprehendunt turpitudinem vt poſſibilem ſibi, vel quaſi non facilè vitabilem. Et hoc modo ſenes & virtuoſi verecundia carent. Sunt tamen ſic diſpoſiti, vt ſi in eis eſſet aliquid turpe, de hoc verecundarentur. Vnde Philoſoph. dicit in 4. Ethic. * quòd verecundia eſt ex ſuppoſitione ſtudioſi. *li. 4. c. vl. ad fi. to. 5*

Ad primum ergo dicendum, quòd defectus verecundiæ contingit in peſſimis & optimis viris, ex diuerſis cauſis, vt dictum eſt *. *In corp. art.* Inuenitur autem in his qui mediocriter ſe habent, ſecundum quod eſt in eis aliquid de amore boni, & tamen non ſunt totaliter immunes à malo.

Ad ſecundum dicendum, quòd ad virtuoſum pertinet vitare non ſolum vitia, ſed etiam ea quæ habent ſpeciem vitiorum: ſecundum illud 1. ad Theſſal. 5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Et Philoſoph. dicit in 4. Ethic. * quòd vitanda ſunt virtuoſo, tam ea quæ ſunt mala ſecundum veritatem, quàm ea quæ ſunt mala ſecundum opinionem. *li. 4. c. vl. tom. 5.*

Ad tertium dicendum, quòd infamationes & opprobria virtuoſus, vt dictum eſt *, contemnit, quaſi ea quibus ipſe non eſt dignus. *a. 2. ad 1.* Et ideò etiam nec de his multum verecundatur. Eſt tamen aliquis motus

verecundiæ præueniens rationem, ſicut & cæterarum
paſſionum.

Ad quartum dicendum, quòd verecundia non eſt
pars temperantiæ, quaſi intrans eſſentiam eius, ſed
li. 1. c. 43. quaſi diſpoſitiuè ſe habens ad ipſam. Vnde * Ambroſ.
parum a dicit in 1. de Offic. quòd verecundia iacit prima tem-
prin. to. 1 perantiæ fundamenta, in quantum ſcilicet incutit hor-
rorem turpitudinis.

QVÆST. CXLV.

De honeſtate, in quatuor articulos diuiſa.

DEinde conſiderandum eſt de honeſtate.

¶ Et circa hoc quæruntur quatuor.

¶ Primo, quomodo honeſtum ſe habeat ad virtu-
tem.

¶ Secundo, quomodo ſe habeat ad decorum.

¶ Tertio, quomodo ſe habeat ad vtile & delecta-
bile.

700 ¶ Quarto, vtrum honeſtas ſit pars temperantiæ?

ARTIC. I.

Inf ar. 2. *Vtrum honeſtum ſit idem virtuti?*

cõt. & ad AD primum ſic proceditur. Videtur, quòd ho-
3. & ar. neſtum non ſit idem virtuti. Dicit enim Tullius
3. cor. in ſua Rhetor.* honeſtum eſſe quod propter ſe appe-
** li 2. de* titur. Virtus autem non appetitur propter ſeipſam, ſed
Inuen. in propter felicitatem. Dicit enim Philoſ. in 1. Ethicor.
fol. 4. an- quòd felicitas eſt præmium virtutis & finis. Ergo ho-
te fin. neſtum non eſt idem virtuti.

† li. 1. c. 9 ¶ 2 Præterea, Secundum Iſidor. * honeſtas dici-
tom. 5. tur quaſi honoris ſtatus. Sed multis alijs debetur ho-
** lib. 10.* nor, quam virtuti. Nam virtuti propriè debetur lau-
etymolo. vt dicitur in 1. Ethicor. † Ergo honeſtas non eſt idem
c. 8 inci- virtuti.

pit, Hu- ¶ 3 Præterea, Principale virtutis conſiſtit in in-
milis, in teriori electione, vt Philoſoph. dicit in 8. Ethic. * Ho-
princ. il- neſtas autem magis videtur ad exteriorem conuerſa-
lius. tionem pertinere: ſecundum illud 1. ad Corinth. 14.
† cap. 12. Omnia honeſtè & ſecundum ordinem fiant in vobis.
li. 8. c. 13. Ergo honeſtas non eſt idem virtuti.
in fi. to. 5

¶ 4 Præ-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN